



Gamlebd.

010

dk,

57

DE  
CAVSSIS ET VITIIS  
**MECHANISM**  
**SCHOLASTICI**  
COMMENTATIO TERTIA  
QVA AD  
ORATIONES IVVENILES AVDIENDAS  
*HUMANISSIME INVITAT*  
CAROLVS HENRICVS SINTENIS  
AA. LL. M. RECTOR LYCEI TORGAVIENSIS.



•••••••••••••  
TORGAVIAE, LITERIS RUIDELIANIS.

DE  
CASSIS ET VITIS  
MECHANISMUS  
SCHOLASTICI  
COMENTATIO TERTIA  
AD A.D.  
ORATIONES IAVANNICAS ADIENDES  
MUSICAUM INSTITUTA  
CROLES HNDRICAS SINTENS  
ET LI. M. REEDER HIC ET LOGOTHEA  
LOGOGRAMM LITTERIS INDICATUM





**D**e Mechanismo technico et exegetico egimus, progredi-  
mur ad criticum, de quo cum agere mecum constitu-  
issem, duea statim mihi in mentem venerunt cautiones.  
Altera est Isocratea illa: nouare aliquid coneris in re non bene  
constituta, non ita, ut bene constitutam nouandi libidine connel-  
las, qui locus est valde lubricus. Haec cautio, licet non minoris  
iudicij est, quid recte securus se habeat, perspicere, quam animi,  
ad nouandum iudicio potius, quam infictia et temeritate impelli,  
eiusmodi tamen est, ut sane in re bene constituta ne mutando et  
vituperando quid conuellam, conuulsu[m]que deterius reddam, ab  
omni metu me liberum esse patiatur. Obtinet enim adhuc multis  
in scholis, quas noui, quaedam auctores Graecos et Latinos cri-  
tice legendi ratio, quam, ne nimis durus atque inurbantis videar,  
non peruersam, absconam, atque insultam, tamen exilem, exsan-  
guem, aridam, frigidam atque ieuniam nominari malim. Quid  
sibi Critica, quaerunt, in Scholis? non solum illa est, cuius nomi-  
ne, qui ad scriptores humanos coniecturis suis corrumpendos se  
contulerunt, quique sacros libros vel auctoritate divina priuigrarunt,

vel detrahendo, interpolando, corrigendo deprauarunt, ad ornandam temeritatem, et occultandam improbitatis atque inscitiae arrogantiā, abusi sunt, sed cuius etiam severitas et diligentia tanta est, ut per pauci iuuenes, qui omnes fere recentioris literarum calendarum rationis leuitatem, negligentiam, et garrulitatem sequi malint, subire ac sustinere velint et possint. Altera cautio haec est, quam Liuius, historiae non magis, quam prudentiae auctor praeclarus, profert XLIV, 41. *pleraque commenta*, ait, *noua mortalium in verbis vim habent, experiendo, cum agi, non, quemadmodum agatur, edifferi oportet, sine ullo effectu evanescunt*, id quod de inuentis militaribus et nouis rei bellicae institutis ab eo dictum, latius patet. In rusticis enim, agrisque colendis, quanto studio quanta que sollertia multos per annos, ad eos emendandos incubuerunt ingenia, quot noua inuenta audiuiimus celebrari atque iactari, quot consilia rei rusticae et agrestis latidibus efferri, quibus agrorum fertilitas non tantum augeri, sed etiam elici e terra posset, quae pleraque vanitatis conuicit usus, non legum magis nouarum, quam aliorum inuentorum verissimus index, ita, ut cum Terentio in Adelphis diceret: quae putaris prima, ea in experiendo repudias. Forte igitur haud dispar Criticae, in scholis si domicilium illi concedendum suaseret, erit fortuna? forte afferet nouas utilitates, quae sunt in opinione inani, quae vanas oratione iactantur, rei veritate non probantur? forte erit Critica in scholis paradoxon Stoicorum, quod cum disputandi subtilitate tractatur, haud improbandam speciem haber, cum vero ventum ad verum est, ut ait ille, vel cum a verbis res venit ad manus, inanissimum veritatis repertum, destituit spem atque exspectationem? minime, veras, non fictas, neque vanas utilitates iam in scholis affert Critica. Iis enim annumeranda est scientiis atque disciplinis, quarum elementa et praecpta quo maturius imbiberit iuuenis, eo faciliori, iucundiori, et exquisitioni ratione ad altiora perscrutationis atque indaginis progredietur. Nihil igitur est, quo impediatur, quo minus com-

commentationibus meis de Mechanismo scholastico hanc quoque  
adiungam, eamque postremam, de Mechanismo *critico* agentem.  
Quamquam enim non ipse sum Criticus, ne quis erret, meae  
tamen vitae munerisque suscepti rationes ita ferunt, ut quotidiana-  
nus mihi sit *vitus* cum scriptoribus Graecis et Latinis, eorumque  
interpretibus, hinc videor mihi consecutus hoc, ut ad bonorum  
Criticorum instituta literas meas dirigere vicinque possim.

Oritur Mechanismus criticus ex philologico vel exegeticō,  
ita, ut arcuissimo coniuncti sint inuicem vinculo. Quae enim Cri-  
tica alia est, quam accurata Philologiae applicatio? Critici, quos  
vulgo dicimus, non solum omnem operam, ut inter omnes iam  
constat, omnemque cogitandi industriam in sapientia antiqua col-  
locant, non solum fontes omnium artium liberaliorum in Graecis  
et Latinis adeunt, summamque artis suae ponunt in eo, ut ex his  
fontibus, iisque vel solis, vel maxime, omnem sapientiam huma-  
niam sibi hauriendam censeant, sed etiam, si quid occurrit in iis  
eiusmodi, quod aut sensu a veritate, aut voce ab accurata elegan-  
tia, et consueta eiusdem auctoris scribendi ratione, abhorreat, sum-  
mo studio laborant, ut vel cum veritate componant, et defendant,  
vel libris scriptis, iisque antiquis et bonis, vel conjecturis, emolli-  
ant atque emendent, in sententiis denique integritatem, bonitatem,  
acumen, grauitatem, suavitatemque notent. Quomodo igitur  
fieri potest, ut auctores, in qua schola ita legantur, ut voces  
auctorum, non intellectae, fere totidem vocibus germanicis, ae-  
que obscuris, transferantur, in eadem pro Criticorum institutis  
saniori salubriorque ratione in iuuenum manibus versentur? Quis  
vero est Mechanismus criticus? est ea auctores classicos legendi  
ratio, qua e verbis, vicinque primo adspectu intellectis, sensus  
singitur, non abhorrens a re, contexta orationis serie, aut opinio-  
nibus, omissa diiudicatione singularum vocum, variarum lectio-  
num, et sententiarum. Quam parum hac ratione saluti consulatur

iuienum, accuratori vberiorique descriptione apparebit. In ipsa translatione Magister Mechanicus nihil cogit ad Grammaticorum subtilitatem reuocare, vt ad verum sensum, et verbis et rebus consentientem, perueniat iuuenis, sed concedit potius hanc tam expetitam vulgo, tamque opportunam ignatiae pariter atque incitiae licentiam, vt, verbis quomodoenque intellectis, sensum generaliorem, nequaquam vero singulis vocibus accurate conuenientem et respondentem, indicet. Qua translatione confecta, progressitur et accingit se Magister ad uberiorem pensi translati explicationem, in qua primo singularum vorum negligitur diuidatio. Quaerit quidem ex discipulo singula vocabula, sed nihil auditur de eorum elegantia, nihil de illorum ornatu, nihil denique de illorum copia. Ad elegantiam quod attinet, non distinguit voces puras ab impuris, proprietatem non solum grammaticam, sed etiam rhetoricae, negligit, et urbanitatem non minus, quam ἀφέλειαν, et gratam auctorum negligentiam, silentio praeterit. Ad ornatum si respexeris, tropos et figurae quidem nominat, sed quid est, quod de illorum delectatione, admiratione, fundamento, et vi coimmouendi, de harum vero et suauitate et grauitate illi monendum videatur? moneat tamen haec omnia, quas regulas de collocatione verborum, de structura membrorum, et numero commendat? Quid denique dicam de verborum copia? immemor est omnis commutationis orationis, aptae verborum frequentationis, illarumque fundamenti et originis. Sufficit igitur illi, iuuenes tantum singulas voces, earumque vim et potestatem, in lexico primo vècunque adspectu repertam, contexta orationis serie disrupta, fideliter memoriae mandare. Age vero quid de varietate lectionum discipulo respondet? grauitate vultus omnes approbat, dicens, *neque valer*. Quamquam negari non potest, multis saepe in variis editionibus varias deprehendi lectiones, inter quas ne minima quidem intercedat differentia, ita, vt dici nequeat, quae alteri sit praeferenda, certe tamen non sunt omnes in

vni-

vniuersum eiusdem conditionis. Opus igitur esset, ut discipulis  
clariorum de librorum scriptorum scribendi ratione notionem for-  
maret, dicendo, omnes voces quondam in continuata, et arctissi-  
me copulata serie, et compendiis literarum esse scriptas, signa di-  
stinctionis, et maioris, et minoris, recentioris esse aetatis, librari-  
os suisse stupidiae ignorantiae et ignorationis monachos, ita, ut si-  
ne omni intellectu exempla literarum anxie exararent, syllabas et  
literas ex negligentia transponerent, coniungendas separarent, se-  
parandas coniungerent, porro, lectionem intellectu difficultorem  
esse praferendam, voces in margine, explicacionis causa, a lecto-  
re additas, postea in textum irrepsisse, et quae sint reliqua. Opus  
esset, ut in explicando loco, eoque corrupto, emendatione Critici  
cuiusdam discipulis proposita, ex iis quaereret, vtrum conues-  
ens sit, an non? quomodo sit reperta? Opus esset, ut in locis in-  
tegris, omnique corruptione vacuis, qui vero, ut saepe fieri so-  
let, a Criticis, inanibus iudicio, et indoctaen licentiae nota insigni-  
bus, depravati sunt, perquireret, quid discipuli de hac mutatione  
textus statuerent? Opus esset, ut discipulos ad consuetudinem fa-  
miliaritatemque Criticae ita induceret, ut, pro iudicii facultate,  
errores et vitia auctorum ipsi emendant, vel vulgatam lectio-  
nem, (id, quod pruritum et scabiem corrigendi reprimit,) potius  
defenderent, quam leibus conjecturis, ut Tanaquillus Faber, Bent-  
leius, Glareanus, Heumannus, aliique fecerunt, riderent atque  
vituperarent, et denique, ut modestos Criticos, qui nunquam eo  
impudentiae progressi sunt, ut, proni ad corrigendum, leues con-  
jecturas in textum inferrent, sibi cognitos atque familiares red-  
derent. Sed de his omnibus Magister Mechanicus magis mutus  
est, quam pifcis. Videamus denique, quomodo in explicandis  
sententiis versetur? has boni Critici, ut constat, in omni genere  
scriptorum curiose notant, requirunt, vnde sint ductae, quae sit  
causa honestatis, veritatis, grauitatis, magnificentiae, suavitatis,  
acuminis, vel fuci et puerilis figmenti. Atque id faciunt non

mo-

modo hac ex causa, quia in iis est permagna, quid? quod maxima pars sapientiae antiquissimorum temporum, quae ad vitam actionesque humanas pertineat, aut saltem cum humanis rebus aliquo modo coniuncta sit, sed etiam, quia in earum copia et usu maxima pars est ornatus oratorii, et maxima in dicendo vis. Neque vlo modo in oratorum numero haberi potest, qui non et talibus sententiis enthymemata, argumentationesque nectere dicerit, quibus argumenta alantur, roborentur, et ad audientium animos contorqueantur. Quid igitur de his indicat Magister Mechanicus? Silet, vt Pythia in tripode Delphico. Explicit igitur Ciceronis, in primis lib. V. ad diuersos ep. 12. lib. XV, ep. 6. omnesque epistolas libri septimi et noni, explicit Homerum, Thucydidem, Xenophontem, Tacitum, Plinium, Senecam, et videbis, quot quantumque pereat.

Num vero credis, fieri posse, vt Magister Mechanicus causas, pro defendenda tam iejuna, tam frigida, tamque exili, aurea antiquitatis monumenta legendi tractandique, ratione, in promptu habeat? praestantia auctorum classicorum extra omnem dubitationem est posita, quae tanta est, vt non minus orationis pulchritudine, suavitate, et munditia, quam utilitatis magnitudine, ad eos magnificiendos commoueamus, et ad amandos alliciamus. Nihilo tamen minus duae proferuntur causae, quae faciant, vt Critica, scholis expulsa, non modo de dignitate retinenda, sed etiam de salute conseruanda cogitare cogatur. Prior haec est, vt Critica non solum tam suspecta, sed tanto etiam odio digna censetur, vt ad eius nomen, quasi ad malum omen et prodigium, quod serio detestetur, et quam longissime a se cupiat amoueri, Magister Mechanicus expuescat. Quae grauis Criticae inuidia, et propemodum infamia, ex indole animi humani originem traxisse mihi videtur, qui valde pronus sit, ad virtutem hominum cum rebus communicanda, et licet amplam mihi de Criticae praestan-

tia differendi materiam praebeat, tamen, cum Clarissimos et in  
summo eruditionis fastigio collocatos Viros iam nacta sit Patro-  
nos, qui testes innocentiae eius, causam Criticae tam fortiter ges-  
serint, ut apud prudentiores saltem ne minima quidem adhuc illi  
adspersa atque inussa esset macula et nota, nihil habeo, quod ad  
illam defendendam necessarium videatur. Ad illas potius respi-  
ciam causas, cur in scholis Magister Mechanicus Criticam casti-  
gandam censeat, curque illam odio vehementiori, quam Vatinia-  
no, dignam putet. Plane singulares sunt, ut loquitur, vel po-  
tius minime communes. Critica, ait, contemnit recentiores et  
compendia. Verum est, nihil saepius auditur ex Criticis, quam  
laudes veterum, qui cui placeant, eum se profecisse plurimum  
iubent existimare. Lege veteres, dictum erat Grotii, sperne re-  
centiores, et eris noster. Sed hoc contemtu non omne recentio-  
ribus denegant pretium, hoc potius tantum contendunt, vnum-  
quemque a veteribus incipere, in recentioribus desinere, vnum-  
quemque in illis habitare, apud hos vero tantum deuertere debe-  
re. Idem obtinet de compendiis. Largiuntur ista Critici puerilis  
et iuuenilis aetatis imbecillitati, ut omnia antiquitatum, historiae,  
aliarumque artium capita pueri et iuuenes cognoscant, sciantque,  
quo intendendus sit animus in legendis antiquis, et, ut quaeque  
perceperint, ea facilius memoria tenere possint. Hoc vero cum  
Bacone Verulamio negant, ipsam veram scientiam et eruditionem  
iis contineri, ita, ut accuratior et copiosior rerum scientia ex ipsis  
auctoribus, assidue legendis, sit querenda, et ex his fontibus in-  
genia sint irriganda, compendia vero cum crepundiis puerilibus  
relinquenda. Bonus igitur ille Magister Mechanicus non habet,  
cur de iactura compendiorum conqueratur, timens, ne iacturam  
totius eruditionis sua faciat. Sed quoniam multi haec quoque  
sunt opinione imbuti, ut putent, Criticam in scholis non solum  
esse irritam et supervacuam, sed etiam iis rebus annumerandam,  
quae tantae sint gravitatis tantaeque difficultatis, ut iuuenilis in-

genii et levitatem et infirmitatem longe multumque superent, hic  
etiam error minuendus, atque paucis ostendendum est, quid de  
hac contemtus Criticae scholastici caussa statuendum censeam.  
Non est, cur expauescas, vel rideas, quod ex iuuenibus in scholis  
Criticos fingendos suadeam, hoc tantae celeritatis negotium non  
est. Criticus, qui ad laudem vel mediocrem adspiret, valeat inge-  
nio atque doctrina, non modo verborum infinitam vim et copiam  
teneat, sed etiam nullius prope liberalis artis rudis atque expers-  
sit, polleat celeritate intelligendi, verique videndi atque iudicandi,  
et dexteritate denique rerum omnium, in primis similium,  
tractandarum, acquisita exercitationis diuturnitate, qua permulti  
a Critica se deterri patientur. Haec omnia paucorum anno-  
rum vitae scholasticae spatio, quamvis optime et saluberrime col-  
locati ad stabiliendam promouendamque vitae futurae felicita-  
tem conferuntur, comparari nequeunt. Hoc igitur potius a re  
mea est, vt, abrogata ista risu certe haud indigna iuuenum in scho-  
lis formandorum ratione, qua illos aliquot annorum spatio, et  
exiguo vnius vel alterius compendii sumtu, tantam doctrinam im-  
bibere, tantaque sapientia imbui credant, vt mox ipsi Magi-  
stros Philosophiac agant, et vel Academiae Doctores dubitationi-  
bus vexare possint, illis potius Criticae institutis gustum et intel-  
ligentiam verae doctrinae afferant, quae non solum ex veris illis  
et puris omnis sapientiae humanae fontibus sit hausta, sed etiam  
a corruptelarum fodiibus iudicando sit purgata. Quodsi instant,  
ingenii iuuenilis imbecillitatem, vel potius siue ignauiam, siue a-  
lacritatem, qua semper saltu aliquo elabi cupiat, impedire, quo  
minus discipulos in Criticae facellum (sit modo ironia Socratica)  
ducant, paucis respondeo, fatigandi sunt iuuenes hac in arena,  
donec, penitus subacti, innoxie et secure progredi possunt. Supra  
a nobis descripta Criticae in scholis tractandae ratio sane eiusmo-  
di est, vt sperare possimus, fore, vt illi nihil insit, quod superet  
et vincat iuuenum vires, neque per se tam rigida tamque severa  
est

est, vt, licet indefessum et assiduum non tam postuler, quam exigit Magistri studium, id, quod lubenter concedam, iuuenum tamen animi breui tempore quodammodo in Criticæ potestatē redigi posint.

His commemorandis et infirmandis planum me fecisse arbitror, quam falsae, quamque suspectae sint causae istae, quibus Critica scholis prohibenda, vel, radicibus in illis iam actis, extirpanda eradicaque videatur. Quemadmodum vero in omni parte disciplinae scholasticae prospere mihi succedere omnia copta et instituta cupio, non mea causa, sed iuuentutis, scholae, et Ecclesiae, sic maxime in hac id mihi ut contingat, in optatis habeo. Nulla enim capitalior scholarum, toriusque vitae eruditæ pernicies atque pestis est, Mechanismo scholastico. Superioribus commentationibus de technico et exegético hoc satis inculenter et fuse demonstratum credo, in praesentia igitur virtus Mechanismi critici adhuc comprobanda et exponenda restant. Primum, quo laborat, hoc est, oritur ex illo maxima in vsu vocatione negligenter. Dolendum mihi semper visum est, permultos esse, vel munieris publici dignitate conspicuos, qui in iuuentute lectio- ni auctorum classicorum multum tribuerint, quique inde ab octavo ad viceustum usque annum (vltra progredi ratione non licet, nam plurimis, relicto pallio scholastico, humaniores literae taedio sunt,) sapientiae Graecæ et Romanae monumenta legerint, et nihil tamen minus, ut nihil de neglecta urbanitate dicam, quae illis nomine iam peregrina est, scripta sua, vocibus barbaris, soloecis, obsoletis, nouatis, peregrinis, sordidis atque plebejis inquinata, ita deformant, ut vix illos attigisse auctores classicos credas, oculisque habeas fidem. Omnia in scribendo virtus illorum si recensere constituisse, Cellarium, Vorstium, Manutium, aliosque exsriberem. Rerum, quamvis bonarum, scientia, sine elegantia vocatione, utilitatem aliquam fortasse habet, dignita-

tem vero et fasidem, in homine docto, nullo modo. Quomodo  
vexat porro, et torquet sacri scriptoris verba Theologus, non sub-  
actus Criticorum disciplina et institutis! ex yna interdum voce  
impropria, ob copiam, vel ornatum tantum addita, corraditur to-  
ta oratio sacra, vel integer liber. Sed vnde ista negligentia in ysu  
vocum? hoc equileum et tormentum verborum? quilibet rei pe-  
ritus mihi tam facilis erit, vt largiatur, haec omnia ex Mechanis-  
mo scholastico, quem criticum nominemus, quasi ex lutulento et  
foetido puto, deriuanda promanare. Hic auctoribus classicis o-  
mnem succum et sanguinem extrahit, carnem, vt ita loquar, rese-  
cat, et barbarie fodiibus opplet. Iam si nihil scribendi rationis  
pulcritudo, nihil suauitas, nihil munditiae valent, qua oratione  
satis exprimere et deplorare potero luctuosissimum iudicandi fa-  
cilitatis neglectum? ex methodo in examinanda lectionis varie-  
tate, supra descripta, apparet, quantum illa ad augendum iudicii  
acumen conferat, quantumque animi iuuenum, impatientes o-  
mnis tarditatis, freno quasi inecto, contineantur atque retardentur,  
vt, seuerae et rigidae lectioni adsuetaci, omnia, quaecunque sint,  
accuratori semper et virili diiudicationi subiiciant. Fac igitur, vt  
haec verae lectionis indagatio vbique locorum omittatur, fac, vt  
Magistri Mechanici grauis vox neque valet omni studiosiori perue-  
stigationi aditum semper praeccludat, nonne omnis lux denegatur  
iuueni, cuius radiis intellectus dissipentur tenebrae? nonne ala-  
critas et subtilitas, ad quam iudicium, a natura obtusum, est li-  
mandum atque excolendum, plane negligitur? et quid de natu-  
rali, eaque effrenata, iuuenum animi levitate dicam, quae velociti-  
tate celeritateque institutionis alitur magis atque nutritur? Si quis  
inter eos, qui sacros libros aliquando sunt tracteratur, operibus  
Westenii, Bengelii, et Millii vti, aut de iis prudenter iudicare a-  
liquando voluerit, (et de incorrupta Noui Testamenti lectione  
vnius cuiusque Christiani, et multo magis Theologi interest) quo-  
modo hoc illi succeder, nisi ante in humanis libris Criticae regu-  
las

ias cognoscere et ad usum conferre didicerit, quod rem per se diffi-  
cilem non modo curiose, sed debita etiam reverentia et religione  
tractet? Silentio praetereo, Theologum illum, qui Criticae hos-  
pes et peregrinus sit, risum excitare Ecclesiae nostrae aduersariis,  
et in primis Socinianis, nisi illis, opposita et obiecta quadam le-  
ctionis varietate, occurrere, pretioque huius lectionis imminuto,  
eorum temeritatem et impudentiam infringere valuerit. Videau-  
mus igitur, maturam exhortationem iuuenum in dijudicanda le-  
ctionis varietate, in auctoribus classicis subinde occurrente, iis an-  
numerari mereri, quibus non tam scholae, quam toti virae pro-  
spiciatur. Sed pressius agamus, et quid denique detrimenti, ne-  
glecta diiudicacione honestatis, grauitatis, acuminis, vel faci senti-  
entiarum, percipient iuuenes, paucis demonstremus. Haec diiudicatio in primis efficax est, ad instillandum tam virtutis amo-  
rem, quam vitii odium, sicut per se iam multum prodest, si sub-  
inde Magister iusserit, animum interrogare, an aliquid sentiat,  
quomodo afficiatur, et, quid sit, quod sentiat, indagare, denique  
quale sit, et unde eam vim habeat, querere. Plurimum porro  
confert haec diiudicatio ad comparandam veram et perfectam  
eloquentiam. Maximo enim in errore versantur, qui alius persua-  
dent, eloquentiam totam in verborum cura esse, et qui in his par-  
titatem obseruare, et troporum figurarumque flosculis consper-  
gere orationem possit, ei Oratoris nomen esse concedendum. Et  
quidem nulla, sine verborum elegantia, vera et perfecta eloquen-  
tia, nisi errauit magnus ille Caesar, qui in delectu verborum elo-  
quentiae originem esse dicebat, sola tamen verba, quamvis bona,  
quia, Cicerone auctore, nihil est tam furiosum, quam verborum  
inanis strepitus, nulla probabili sententia subiecta, non sunt pro-  
banda, neque veram et perfectam eloquentiam constituant, quae  
sententiis etiam constat iis, a quibus maiestas, grauitas, venustas,  
et suauitas in dicendo nascitur, quae vel admirationem, vel dele-  
ctionem habent, quaeque magnitudine et generositate sua per-

mouent audientium animos. Quantam denique utilitatem haec diiudicatio sententiarum auctorum classicorum Theologo in primis afferat, verbis vix exprimi potest. Nihil dicam de eo, multis illarum tantae sanctitatis tantaeque religionis esse, ut vel iis Orator in coetu sacro ad collustrandum, vel elaborandum saepius vti possit, sed tantus in sacris libris est numerus pulcerrimarum, acutissimarum, et grauissimarum sententiarum, tam communium, quam praecipuarum et propriarum, quantus est in nullo Graecorum et Latinorum scriptorum. Quam funestum igitur et luctuosum est detrimentum, quod iuuentuti hac etiam ex ratione infert atque importat Mechanismus criticus! non excitatur in iuuenibus studium virtutis, ex significatione praestantiae eius, neque indignatio vitii generosa, ex eius improbitatis foeditate, via proxima atque expedita verae et perfectae eloquentiae iis obstruit atque intercluditur, in desertam atque incultam deflexis, et in coetu sacro aliquando dicentes, recitata aliqua collegii moralis et thetici particula, templorum amplitudinem in scholae cogunt angustias.

O iuuenes, carissima pectora, non possum enim non vos in fine huius commentationis alloqui, dedito vos, quaeso, humanitatis doctrinae, cuius utilitas, suauitas atque dulcedo tanta est, ut maxima industria, ardentissimoque amore in dies dignorem cognoscatis, eiusque studium multo iucundius et glorioius reperiat! Ecce, ipsa haec schola, multorum Virorum, et eruditione et munerum amplitudine et dignitate conspicuorum, communis mater, per me vos hortatur, ne culpa vefra committatis, ut pristinæ gloriae partem amittat. Ego, inquit, dispulsi et dissipatis superstitionis tenebris, literas humanores materno amore excepti, hic Melanchthonis, hic Eberti, aliorumque Clarissimorum Virorum doctissimae suauissimaeque voces personuerunt, per ducenos et duodeuiginti annos me, Musarum scholasticarum matrem, conseruauit Summi Dei gratia, et multa semper habui ornamen-  
ta,

ta, o! Filii, o! Carissimi, haec intuemini, horum vestigia premite, ad horum exempla vos fingite! Certe dulcissima spes me allicit, fore, ut his amantissimae matris vocibus aures praebat faciles atque benignas. Deus vos et studia vestra gubernet, industriam et assiduitatem vestram magis magisque inflammeret, eamque aliquando praemissis largissimis coronet!

Progedior nunc ad id, quo commotus haec scripsi.  
Mortis diuini Serumatoris et Instauratoris aeternae salutis nostrae memoria, quae castino die in animos nostros renocabitur, me impulit, ut quatuor iuuenum orationibus diei huius solemnitati publicae finem imponerem. Dicent nimirum:

I. IOANNES CHRISTIANVS RICHTER, Neidensis-Micnicus, *de causis atrocitatis perpeccionum Iesu internarum*, in Oratione latina.

II. IOANNES CHRISTIANVS SIGISM. SINTENIS, Seruesta-Anhaltinus, *de prouidentia Dei in perpeccionibus et sepultura Iesu*, in Oratione germanica.

III. GOTTFRIED MICHAELIS KOERBIZ, Torgauiensis, *de vi opinionum praeconceptarum Iudeorum contra dignitatem Iesu Messiae, ex contemplatione perpeccionum eius*, in Oratione latina.

IV. GEORGIVS ADAMVS BRVNNER, Torgauiensis, *de Iesu animi submissionem in cruce docente, in carmine germanico.*

Qui-

Quibus orationibus ut VIRI ILLVSTRES et GENEROSISSIMI,  
EPHORVS SVMME REVERENDVS, SENATVS AMPLISSIMVS,  
SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDI, MAGISTRI LYCEI  
HONORATISSIMI, et omnes, quos Torgauiae FAVTORES et AMICOS  
habeant Musae, cras, audita hora IV. finitis sacris pomeridianis,  
pro consueta benivolentia sua, quam gratissimo animo semper  
agnouimus, interesse velint, omni humanitate, et pro officio, oro  
rogoque. Dedi Torgauiae, Idibus Aprilibus,

A. I. S. MDCCLXXV.



II IOANNES CIRILLUS  
GOTTFRED MICHAELIS ZOELLERI

IV GEOFRIAS ADVVMAZ DRANIERI

CON-

# S PRIORVM ORDINVM

## III.

Die Latio SS. interprete *Dn. Cantore.*  
Echismus Dresd. *Dn. Subrector.*  
*Dominus Subrector.*

Immat. lat. Gefneri, *Dn. Subrect.*  
Ellonis colloquia, *Dn. Subrect.*

Die Mio SS. interprete *Dn. Cantore.*  
Echismus Dresd. *Dn. Subrect.*  
*Dominus Subrector.*

Immathica Graeca, Halensis,  
*Dn. Subrector.*

Die Mio SS. interprete *Dn. Subrectore.*  
eparatio in pens. Corn. *Dn. Subr.*  
icitatio artis canendi. *Dn. Cantor.*

Die Latio SS. interprete *Dn. Collega IV.*  
Echismus Dresd. *Dn. Subrector.*  
*Dn. Subrector.*

C O N S P E C T U S  
LECTIONVM PVBLICARVM ET PRIVATARVM TRIVM SVPERIORVM ORDINVM  
IN LYCEO TORGAVIENSE.

|                    | I.   | II.  | III.  |
|--------------------|--|--|---|
| <i>Die Lunae.</i>  | 6 - 7 Lectio SS.<br>7 - 8 Ernesti initia, <i>Rector.</i><br>8 - 9 Ciceronis Orat. vel Liuius, <i>Rect.</i><br>9 - 10 Hebraica, <i>Rector.</i><br>1 - 2 Ouidii epistolas e Ponto<br>2 - 3 Virgilius, <i>Rector.</i><br>3 - 4 Cic. Orationes vel Liuius, <i>Rect.</i>                    | interprete <i>Dn. Correctore.</i><br>Nou. Test. graecum, <i>Dn. Corrector.</i><br>Cornelius Nepos,<br>Eutropius, <i>Dn. Conr.</i><br><i>Dn. Corrector.</i><br>Emendatio, <i>Dn. Corrector.</i><br>Phaedrus, <i>Dn. Corrector.</i><br>interprete <i>Dn. Correctore.</i><br>Cornelius Nepos, <i>Dn. Corrector.</i><br>Cornelius Nepos,<br><i>Dn. Conr.</i><br><i>Dn. Corrector.</i><br>Emendatio, <i>Dn. Corrector.</i><br>Phaedrus, <i>Dn. Corrector.</i><br>interprete <i>Rectore.</i><br>Catechismus Dresd. <i>Dn. Corrector.</i><br><i>Dominus Subrector.</i><br>interprete <i>Dn. Correctore.</i><br>Eutropius, <i>Dn. Corrector.</i><br>Cornelius Nepos,<br>Ciceronis epist. ad div. <i>Dn. Conr.</i><br><i>Dn. Corrector.</i><br>Cornelius Nepos, <i>Dn. Conr.</i><br>Emendatio, <i>Dn. Corrector.</i><br>Aelianii hist <i>or.</i> , <i>Dn. Corrector.</i><br><i>Dominus Corrector.</i> | Lectio SS. interprete <i>Dn. Cantore.</i><br>Catechismus Dresd. <i>Dn. Subrector.</i><br><i>Dominus Subrector.</i><br>Grammat. lat. Gefneri, <i>Dn. Sabrect.</i><br>Castellionis colloquia, <i>Dn. Subrect.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Cantore.</i><br>Catechismus Dresd. <i>Dn. Subrect.</i><br><i>Dominus Subrector.</i><br>Grammatica Graeca, Halensis,<br><i>Dn. Subrector.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Subrectore.</i><br>Praeparatio in pens. Corn. <i>Dn. Subr.</i><br>Exercitatio artis canendi, <i>Dn. Cantor.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Collega IV.</i><br>Catechismus Dresd. <i>Dn. Subrector.</i><br><i>Dn. Subrector.</i><br>Gefneri grammatica lat. <i>Dn. Subrector.</i><br>Castellionis colloquia, <i>Dn. Subr.</i><br>Exercitatio artis canendi, <i>Dn. Cantor.</i><br>Repetitio lectionum, <i>Dn. Subrector.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Collega IV.</i><br>Praeparatio in pens. Corn. <i>Dn. Subr.</i><br>Exercitatio artis scribendi, <i>Dn. Cant.</i> |
| <i>Die Martis.</i> | 6 - 7 Lectio SS.<br>7 - 8 Xenoph. memor. Socr. <i>Rect.</i><br>8 - 9 Historia uniuersitatis, <i>Rector.</i><br>9 - 10 Ernesti initia, <i>Rect.</i><br>1 - 2 Aelianii hist <i>or.</i><br>2 - 3 Virgilius, <i>Rector.</i><br>3 - 4 Emendatio, <i>Rector.</i>                             | Nou. Teft. gr. <i>Dn. Conr.</i><br><i>Dn. Corrector.</i><br>Emendatio, <i>Dn. Corrector.</i><br>Phaedrus, <i>Dn. Corrector.</i><br>interprete <i>Dn. Correctore.</i><br>Cornelius Nepos, <i>Dn. Corrector.</i><br>Cornelius Nepos,<br><i>Dn. Conr.</i><br><i>Dn. Corrector.</i><br>Emendatio, <i>Dn. Corrector.</i><br>Phaedrus, <i>Dn. Corrector.</i><br>interprete <i>Rectore.</i><br>Catechismus Dresd. <i>Dn. Corrector.</i><br><i>Dominus Subrector.</i><br>interprete <i>Dn. Correctore.</i><br>Eutropius, <i>Dn. Corrector.</i><br>Cornelius Nepos,<br>Ciceronis epist. ad div. <i>Dn. Conr.</i><br><i>Dn. Corrector.</i><br>Cornelius Nepos, <i>Dn. Conr.</i><br>Emendatio, <i>Dn. Corrector.</i><br>Aelianii hist <i>or.</i> , <i>Dn. Corrector.</i><br><i>Dominus Corrector.</i>   | Grammat. lat. Gefneri, <i>Dn. Sabrect.</i><br>Castellionis colloquia, <i>Dn. Subrect.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Cantore.</i><br>Catechismus Dresd. <i>Dn. Subrect.</i><br><i>Dominus Subrector.</i><br>Grammatica Graeca, Halensis,<br><i>Dn. Subrector.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Subrectore.</i><br>Praeparatio in pens. Corn. <i>Dn. Subr.</i><br>Exercitatio artis canendi, <i>Dn. Cantor.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Collega IV.</i><br>Catechismus Dresd. <i>Dn. Subrector.</i><br><i>Dn. Subrector.</i><br>Gefneri grammatica lat. <i>Dn. Subrector.</i><br>Castellionis colloquia, <i>Dn. Subr.</i><br>Exercitatio artis canendi, <i>Dn. Cantor.</i><br>Repetitio lectionum, <i>Dn. Subrector.</i><br>Lectio SS. interprete <i>Dn. Collega IV.</i><br>Praeparatio in pens. Corn. <i>Dn. Subr.</i><br>Exercitatio artis scribendi, <i>Dn. Cant.</i>   |
| <i>Die Merk.</i>   | 6 - 7 Lectio SS.<br>7 - 8 Theologia thetica, <i>Rect.</i><br>8 - 9 Terentius,  |  |   |
| <i>Die Iouis.</i>  | 6 - 7 Lectio SS.<br>7 - 8 Ernesti initia, <i>Rector.</i><br>8 - 9 Cic. Or. vel Liuius, <i>Rector.</i><br>9 - 10 Hebraica, <i>Rector.</i><br>1 - 2 Ciceronis epistolas ad diuers.<br>2 - 3 Cic. Orat. vel Liuius, <i>Rector.</i><br>3 - 4 Exercitium extemp <i>or.</i> , <i>Rector.</i> |  |   |
| <i>Die Vener.</i>  | 9 - 10 Xenoph. mem. Socr.<br>1 - 2 Cic. epistolas ad diuers.<br>2 - 3 Geographia, <i>Rector.</i><br>3 - 4 Ernesti initia, <i>Rector.</i>   |  |   |
| <i>Die Saturn.</i> | 6 - 7 Lectio SS.<br>7 - 8 Theologia thetica, <i>Rect.</i><br>8 - 9 Acta Apostolorum graeca.  |  |   |

His laboribus nostris, quibus permulta adhuc, eaque priuatissimae lectiones, quotidie addantur, Deus Q. M. in posterum quoque clementissime annuat, ut augeatur magis magisque externa nonminis diuini gloria, et salus iuuentus fidei nostrae commissae.

COLLECTA  
SACRA LATERICIA PRAECEPSA TUMA AVTHORIA ORDIN

I. 11.  
I. 12.  
Ceremonia Duxi V.  
Vixim 3. p. 1.  
Quatuor ad Gaudiis. Ad 3. p. 1.  
Quatuor ad Gaudiis. Ad 3. p. 1.

I. 13.  
I. 14.  
I. 15.

I. 16.  
I. 17.  
I. 18.

I. 19.

I. 20.

I. 21.

I. 22.



AB:155056

VD 18

ULB Halle  
003 085 112

3



TA → SL  
nur 75 Blatt /

VDT7

R





DE  
SET VITIIS  
**A N I S M I**  
**L A S T I C I**  
TATIO TERTIA

QVA AD  
ENILES AVDIENDAS  
SIME INVITAT  
NRICVS SINTENIS  
OR LYCEI TORGAVIENSIS.



TERIS RUIDELIANIS.